



## The Holy See

---

PIUS PP. X **EPISTOLA QUOD EX TUIS\*** AD R. D. SEBASTIANUM CORRADI CANONICUM,  
PRAEPOSITUM AEDIS METROPOLITANAE GENUENSIS, OB CENTENARIA FLISCAE Dilecte fili, salutem et  
apostolicam benedictionem. — Quod ex tuis litteris intelleximus, te lectisque viris curantibus, celebres istic apparari  
honores Catharinae Fliscae, cuius a beato exitu propediem plenum erit quartum saeculum, id quidem Nobis non accidit  
mirum, qui singularem Genuensium pietatem probe cognitam haberemus. Etenim fieri non poterat, ut tam religiosa civitas  
sibi deesset hoc tempore, nec vellet omni studio memoriam celebrare sanctissimae feminae, quae tantum ipsius lumen  
et decus extitisset. At, si non mirum, id tamen pergratum accidit, nempe vestra ipsorum causa, quibus omnibus sacra ista  
solemnia valde ad salutem profutura confidimus. Nam et praeclara virtutum exempla recolentes, quae in vita elucet  
maximae civis, animos sumatis oportebit ad retinendam avitam Fidem, atque ad vivendum congruenter, et piaevoluntatis  
significationibus eam prosequentes, ipsius certe de caelis patrocinium vobis et civitati vestrae magis magisque  
conciliabit. Nos autem Deum benignum quaesumus, hos velit, quos exspectamus fructus, esse uberrimos; atque  
auspicem divinorum munerum, tibi, dilecte fili, et Genuensibus universis apostolicam benedictionem amantissime  
impertimus. *Datum Romae apud S. Petrum, die XI Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo. PIUS PP. X*

---

\*AAS, vol. II (1910), n. 7, pp. 285-286.

---